

Theodor Adami

Oratio Funebris Generosissimo Et Heroica Indole Perillustri Adolescenti Iulio Holsatiae Et Schomburgensium Dynastae

Helmaestadii: Lucius, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768584817>

Druck Freier  Zugang





Al - 1484¹⁻³

8.-

17-17



ORATIO FVNEBRIS
GENEROSISSIMO ET HEROICA INDOLE
PERILLVSTRI ADOLESCENTI

IVLIO

HOLSATIAE ET SCHOMBVRGENSIVM
DYNASTÆ:


In Academia Iulia V. Eid. Mart.

Publicè dicta

à

THEODORO ADAMIO:

Inde perscripta & edita.



HELMÆSTADII,
Ex officina typographica Iacobi Lucij.
Anno M. D. C. I.

Fl-1484^{1.2.3.}

Ad
Optimæ patriæ optimos principes,
ADOLPHVM Schomburgicum,
& ELISABETHAM Brunsvi-
giam,

IVLII TOT MAKAPITOT parentes.



Agne heros, & gente tua dignissime, Adolphe,
Tuq; potens magnis virtutibus heroïna;
Vobiscum humano generi quem plorat ademptum
Totaq; Saxonia, & quotquot Germana celebrat
Natio, magnates; hunc nos quoq;, IVLIA sacris
Quos Dea præfecit templis, lugemus & ipsi:

Mors fera quem nostras properantem euertit ad aras;
IVLII, cœlorum quem nunc habet aula, nepotem,
Matre ortum, HENRICI IVLII præstante sorore:
Larga manus quorum atq; bonæ vis prouida mentis
Docta per vmbrosas hæc nobis ocia valles
Conciliant, Elmiq; per orbem nomen honestant.
Ille quidem vobis carissimus, vnicus ille
IVLIVS, heu vobis numquam reparabile damnum
Fert moriens. Sed vos Naturam audite, supra fas
Vos illum supraq; modum lugere vetantem:
Non tam quod, quidquid natum est, ita abire necesse est,
Quàm quod ei ætatis breuitatem pondere rerum
Æquauit. Supra ne humanum extollere morem
Velle hominem, legesq; datas sibi, visa, migrare,
Cœlestum insolitis conatibus excitet iras;
Finem operi facit, ablatamq; è fardibus istis
Sæcula diam animam multo ad meliora remittit.
Ipse quoq; in cœlis viuens super ætheris astris,
Vos æquo esse animo & luctus cessare precatur;
Tum nimio vobis ne pectora faucia luctu
Esitet anxietas, incassum; quippe dolore
In vitam hanc nemo redit è tot millibus vnus:
Tum, quibus auctus ibi est, bona ne sibi nolle velitis,
Præ quibus & parum habet, quicquid vel regibus amplum est.

V. Clementijs

deditissimus

— *Theodorus Adamius, Iudicij prouincialis in principatu*
Brunsvicensi adfessor, & artis dicendi in Academia
IVLIA doctor.



TH. ADAMII
ORATIO FVNEBRIS.

Quod ego è principibus iuuentutis præ
cæteris illustris adolescentis & laudes
prædicare & interitum lugubri orati-
one deplorare adgredior, id nemo,
opinor, iure reprehenderit. Quod e-
nim ad alterum horum attinet; quoties homines
bene meritos postremâ ætate vita functos terra
condimus; & singillatim omnium, & totius quoq;
reip. moerorem intueri licet. Adeo per eiusmodi
casus & singuli suam quisq; priuatam miseriam &
vniuersi publicam calamitatem à se defleri existi-
mant. Cum enim parum arbitrentur, quidquid
ex illorum laboribus vtilitatum hauserint; quòd
ijs in posterum frui non queunt amplius, id verò
dolent totis animis. Verùm tamen vt iniquè eas
tibi opes flagitaueris, quæ suâ naturâ tuæ num-
quam possunt fieri; ita non modò non iusta sed &
vana postulatio est, si qui, vt fit, ad eum modum,
præter leuem humanæ sortis complorationem, de
illegitimâ ætatis accessione fata sollicitent. Quos
A 2 aurem

autem & genus ab heroibus longa serie deductum, & egregia animorum indoles, & procerum cum populo concors legibusq; fulta expectatio ad imperium patriæ destinaverit, ijs si quid ante tempus acciderit; id nimirum illis, quorum interest, quiue de nullâ non reip. parte solliciti sunt, peracerbum luctum excitare, neq; vllâ ratione mirum & rei ipsi maximè consentaneum videatur. A quibus enim, quoscumq; ferre possent, fructus percepimus, eos hinc sublatos si tantopere licet conqueri; horum obitum, quorum vita nobis ingentes thesauros certò pollicebatur, cur non feramus ægerrimè? Si eos dolemus mortuos, à quibus nihil expectaremus ampliùs; cur non multò impensius lugeamus, qui felicitatis & salutis auctores in posterum futuri multis mortalium, antequam ijs partibus fungi cæperint, occidunt? Laudandos verò qui illos tantùm existiment, quorum siue res gestæ, siue alij splendores, ab ipsis parti, in hominum memoriâ versentur, ij videant, ne, dum ipsos prædicant, multa partim occultare, partim pro virtutibus venditare vitia necesse habeant: quod cum fit, ut sæpè fit faciendumq; est, neq; plena

na

ORATIO FVNEBRIS.

na neq; sincera est laudatio. Aetas tenerior, nisi in peruersam incideris, cuius nihil laudabile sit, eiusmodi siue coloribus siue vmbri non indiget: vt quæ nec in familiari nec in publica re turbauerit bonos ordines. Ad hæc, non modò veteranum quisquam militem ob facta fortia, sed & tironem ob corporis robur, agilitatemq; , atq; ob animi magnitudinem, discendiq; studium, & in se exercendo diligentiam, rectissimè collaudauerit. Neque solùm horti à multo tempore exculti omnis peculiaris elegancia est, sed sua etiam lectum seminarium & nouella florum herbarumq; germinamant iucunditas: quib; si tempestas exitium intulerit, non minùs iacturam amplioris emolumenti voluptatisq; doleas, quàm id, quod in ijs præstantiæ ac bonitatis iam tum fuerat, verbis ornes meritò. Quòd si ergò & nos generosissimi adolescentis I V L I I Schomburgici, cui hodiè in patria apud suos funus fit, & mortem condolere, & memoriam aliqua rerum præstantium, quæ in ipso erant, commemoratione celebrare constituimus; in eo nobis quisq; adsentiatur facilè; quoniam & ita nos decet, & ipsius præstantia hoc exigit; vt per

se manifestum est, atq; ex ijs, quæ ipse dicam, planius intelligetur. Multa data sunt mortalib., sine quibus vitam nec adipisci nec tueri possent: parentes primùm, victus inde, & tegumenta corporis, habitatio deniq;. partem præterea aliquam orbis terrarum esse oportet, vbi & edatur in lucem aliquis, & consistat, ijsq; rebus vtatur fruatur. Patriam vocare solent, vbi vel primum aërem hauserimus ipsi, vel maiores parentesue nostri certam sedem sibi suisq; habuerint. Vt autem ad hominis conditionem siue bonam optatamq; siue malam ac vilem efficiendam multum interest, cuiusmodi cætera sint; ita ad vniuersam felicitatem nostram plurimum conferre omnes arbitrantur, si à patria nihil adhæreat incommodi; idq; experiuntur multo magis, qui alijs imperant. Hi enim si loca habeant, qualia sibi quisque optet, si homines rebus necessarijs abundantes, & honestati deditos, satis ijs à Deo immortalis prospectum iudicamus, eosque propterea extollimus, quasi adeptos, quæ tantum beatiorum sint propria. Illustris hic adolescens quibus hac in parte cedat, perpaucos dispicio. Locumenim, qui originem ipsi, eiusq; huc vsque
 maio-

ORATIO FVNEBRIS.

maioribus domicilium imperij, præbuit, multis rebus celebrem esse nouimus. Nec tamen de Germanorum nec de Saxonum rebus eximijs quidquam hic addam; quamuis non prorsus extra rem esset; quòd in ijs à multis sæculis & gens & patria illius floret. Sed hæc per se satis commendationis sibi suppeditat, vt tam longè eam petere superuacaneum sit. Arces habet munitissimas, oppida perpulcra, agrum fertilem frumentiq; omnis generis copia abundantem. Si siluas adeas, & pascua perlustres, illic, præter venandi commoditates, arborum fœcundo prouentu, hic gregum armentorumq; errantium numero, vtrobiq; iucundè amœnitatis aspectu te oblectes. Visurgin amnem, tam frequentatum olim Romanis, tam eorum scriptoribus celebratum, cæterorum amnium, qui inter Rhenum atq; Albim sunt, maximum esse quasiq; illorum dominatum obtinere compertum est. Is cum eam regionem perambulet, eò & mercium copiam apportat, & inde eorum, quæ supersunt, euehendorum facultatem affert, & piscium quoq; multitudine homines ditat. Aliam verò etiam ditionis Schomburgicæ partem Albis amplissimus
 fluuius

fluuius alluit, iisdemq; bonis suos accolas, quibus
 Visurgis suos, beat. Optatissima porrò incolarum
 conditio est. Siue enim in sacerdotijs & similibus
 locis constitutos, consideres, siue nobiles, siue op-
 pidanos, siue rusticos; habere, pro suo quisq; loco,
 possunt, qui honestè viuant, & gentis natura forti-
 bus animis sunt præditi, & per cœli bonitatem ro-
 bustis corporibus, & pro innata sibi erga eos, quib;
 parent, adfectione, amorem fidemq; ipsis præstant
 singularem. De pietatis cultu, de ludis litterarijs,
 de armorum & belli studijs nihil adijcio, ne in sin-
 gulis, quæ nemo nesciat, persequendis nimius
 videar. Vt verò huiusmodi res ad felicitatem
 eius, qui ad talis patriæ imperium natus designa-
 tusq; est, magnopere attinent; ita non minus ad res
 stabiliendas conseruandasq; conducit, si nihil à vi-
 cinis sit periculi. Habet itaq; regio illa vicinos par-
 tim potentia sibi æquales, partim, si qui plus valeāt,
 ad finitibus, patrocinijs alijsq; necessitudinibus
 coniunctissimos, qui, si quid à ceteris metus obori-
 atur, ab illis non secus atq; à suis mala sint propul-
 saturi. Hæc te, IVLI, generosissime sanguis, su-
 spiciebat patria, hæc se tuo debitam imperio læta-
 batur

ORATIO FVNEBRIS

batur totis animis, hæc eas, quibus finguli maiores
tui claruerant virtutibus optimis maximisq̄, vni-
uersas in te florentes admirata, maturitatem ipsa-
rum fructusq̄; nascituros magna exspectatione op-
periebatur. Iam autem cœlitus ita ditatum, & per se
satis illustrem multò illustriorem fecit generis ve-
tusti fulgor, & maiorum facta fortia. Sunt enim ri-
gidi nimis & iam diu ab omnibus explosi, qui hoc
nihil habere ponderis censent. Nec de eorum ra-
tionibus mihi nunc sermo est, si qui vitiorum tur-
pitudine inquinati, solo nobilitatis obtentu se or-
nare conantur. Sed nos heroum inclutorum pro-
paginem, heroica indole & ipsam insignem, dum
hic prædicamus; quas illi sibi laudes peperere, cur
non & huic cum ipsis communes duxerimus? quã-
doquidem, & huius ipsius quidquid præclarum &
laudabile vel extitit vel extitutum fuerat, idem illi
quoque pro suo sibi vindicent. Cum enim rerum
natura posteros, ex maiorum, siue ij parentum lo-
co siue gentiles sint, visceribus communiue san-
guine procreauerit; eadem quoq; hanc legem tu-
lit, vt inter vtrosq̄; tam bonorum quàm malorum
esset quædam communio, vtq̄; alterutri alterutro-

B

rum

rum felicitatis haberentur participes. Dicam igitur illustris huius familiae autorem principem, Adolphum, cuius Conradus Secundus Imperator praesentem operam, & tam armorum quam consilij vim, Italico, Germaniae intestino, Pannonico & alijs pluribus bellis expertus, ipsum, meritis & dignitate antea satis praecclarum, splendidius ornandum duxit, & publicis comitijs (sexcentiam paulo minus anni sunt) eo loco constituit, quem eius posterum magno cum honore & felicitate haecenus tuerentur? Familias principes praecclarissimasque numerem, quibus cum adfinitates & cognationes ipsis intercedunt; regiam Danicam, Saxoniam, Brunsvigiam, Lunæburgensem, Hessiacam, aliasque complures? Recenseam honestissimam splendidissimorum collegiorum de hac gente iudicia; quodque duo ex ea, vnus Adolphus, alter Antonius, Septemviri Colonenses creati sunt, dignique habitum, qui tam excelsum & cum paucissimis etiam supremorum commune adscenderent fastigium? & quod ex eadem patres Hildesiani aliquoties sibi praesules delegere; saepius vero Mindenses? Adolphumne, primi illius, quem dixi, nepotem, ut con-

ijci-

ORATIO FVNEBRIS.

ijciunt, eiusque fortitudinem commemorem, & quantas ille strages Lothario Imperatori militans in Boëmis hostibus ediderit? Aliumq; item Adolphum, è Palæstina, quò Fridericum Barbarossam comitatus fuerat, reuersum, sua sibi erepta armis recuperasse, eòdemq; postea cum Henrico Sexto Imp. iterum profectum, magnam Saracenorum manum occidisse? Adolphum item eius filium, Voldomare Danorum rege magno prælio fuisse superiorem, ipsumq; insequendo ad pacem secum faciendam adegisse? Taceam ab Othone huius I V L I I atauo Magnum Torquatum bello superatū atq; interentum? Eiusdemq; abauum Adolphum Danos, Holsatiam magna vi infestantes, bis aggressum, bis profligasse, victorem vtrobiq;? Sed reprimam me, ne alioquin etiam in Othonis, qui auus illi fuit, militiam cogar descendere, notā quidem pluribus etiā nunc viuis, sed instituto nostro operosiorum. Dicam etiam, quod mirum videatur de illis sæculis, quæ habentur barbara, de ciuili ipsorum prudentia & pacis artibus? Volens enim sua ipsum, cui hoc officij præsto, ornare pulcritudine, vix me contineo, quin ex vnaquaq; huius

horti parre aliquid huic coronæ intexendum de-
 cerpam. Omitto, quod eo studio superius sit, ædes
 sacras conditas, sacra collegia constituta magnifi-
 cis sumtibus. Cæterum Hamburgum, florentissi-
 mā hodie & opulentam ciuitatem mirè auxerunt
 & multis alijs commodis, & impetratis immunita-
 tibus; vnde post secutorum incrementorum pri-
 mordia nata sint: quod & Hamburgenses, elegan-
 tes homines & virtutis studiosi, grato animo agno-
 scant & prædicent. Lubecam quoq;, quantæ nunc
 potentiæ, quàmq; omnium rerum copia adfluen-
 tem! penitus euersam instaurarunt. arces passim e-
 rexerunt. colonijs ductis res suas firmarunt. Hen-
 ricus, I V L I I agnatus, cui animi corporisq; robur
 Ferrei cognomen dedit, per Germaniam, Da-
 niam, Sueciam, Britanniam, Italiam, magnam
 belli gloriam adeptus, Sueciæ regnum sibi obla-
 tum repudiauit: quod postea aui consilium etiam
 nepos Adolphus secutus fuit; cùm Dani sibi ipsum
 regem peterent: qui tamen suorum memor Da-
 niæ regnum (vt auus, quod ipse nollet, propinquis
 suis, Megapoleos principibus, curauerat) Sororis
 Hedouigis nepoti, Christiano, Dynastæ Olden-
 burgi-

ORATIO FVNEBRIS.

burgico, impetrauit. quo factum est, vt potentissimū regnum iam vltra centum quinquaginta annos penes eandem familiam maneat. Arduum erat, maioris potentie nihil vltro affectare seq; intra suos limites continere. Quid enim in animo indomito non valent, siue quid non audent dominatus illecebræ, quæ quæ has sequuntur libidines? Honestatem proculcant, ius & fas pro deridiculo habent, seditiones excitant, ciuitates, populos, regna euertunt funditus, viros bonos ad supplicia rapiunt, sui oblitæ, conscientiam non audiunt, deniq; omnia susq; deq; habent, omnia sursum vortum disijciunt. At illi non modò nihil ambierunt, sed maiestatem regiam oblatam adspernati sunt. Nec tantum non fuerunt summæ dignitatis cupidi, sed eam quoq; virtutem, quæ cupiditati dominandi resistit, longè superarunt. Multò enim facilius, quod perperam appeteretur, spernitur, quàm, quod honestè acciperetur, repellitur. Prætereamine Othonem, cuius IVLIVS nepos erat, non solum armis clarū, sed & consilij abundantem copia in publicis priuatissq; negocijs? id quod ipse à pluribus, qui adhuc in viuis sunt, prædicari memin;

ni, & luculenter testati sunt Hildesiani, quando ipsum suum fecere præfulem: quod ille munº cum annos aliquot gessisset, vltro se ab eo abdicauit; conditione auita, & ipsa satis splendida, contentus. Ex quo tempore domi vixit, sed ita, vt reip. non deesset interim, cum & à pluribus Germaniæ principibus crebro in consilium adhiberetur de rebus arduis, & ciues suos adficeret beneficijs. Cur enim non eo nomine appellem, quod secundum animarum salutem, præstantissimum omnium bonorum est, quæ quis in eos, quibus præsit, conferre queat; ita ipsis præesse, vt in officio sint honestatiq; studeant, & habeant præterea, tum qui ius sibi dicant ex æquo bono, tum qui se defendant à periculis? Quod ipse cum propria prudentia præstaret laudabiliter, tum, quod prudentissimus quisq; solet facere, alios quoq;, qui sibi in hoc instituto præstò forent, adsciscendos duxit. Præter ceteros itaq;, ciuem suum, Anton. Viterfæmum, I. C tum, eloquentia, eleganti eruditione & iudicio præstantem hominem probauit. Eum Italia, cuius hospes annos multos fuerat, plurimarum optimarum rerum cognitione locupletauerat; quod socerum sæpè
com-

ORATIO FVNEBRIS.

commemorare memini; expertus erat postea in negocijs suis vtilissimum & fidelissimum ciuitatis Rostochiensis senatus; proposuerant verò deinde rebus suis Hamburgenses: à quibus licet inuitis discederet, tamen patriæ se vocantis desiderio non putauit esse repugnandum. Huius opera & ipse Otho, ciuibus suis, quoad vixit, ita præfuit, & ipsius filius, Adolphus, heros optimus, etiam nunc iisdē sic præest, vt ipsi nec meliora æquioraq; imperia sibi optent, & filium huius I V L I V M tantò maiore adfectu coluerint, & nunc quoq; eius obitu animos vulneratos sentiant profundius ac vehementius. Non pauca esse animaduerto, quæ de paterna illius origine dixi; cuius loci ea, quæ omisi, si respereritis, hæc illis multò plura esse apparuerit. Quòd si & de matre, deq; ijs, à quibus ipsa orta est, adderem saltem quæ videntur præ cæteris illustria; tempus mihi citius se subriperet, sat scio, quàm rerum copia. Sed neq; vos hoc expectatis hodiè; & sunt eius generis pleraq; ex hoc loco antehac celebrata sæpius. Vt autem viuos laudare non vacet periculo, quòd aliquando & inuidiam ei, qui laudatur, & offensam laudatori excitat, nonnunquã etiam hunc

hunc adulationis suspicione adspergit; tamen, que in omnium oculis sunt, verbo indicare, cum occasio est, nemo vel paulò æquior improbet. Ut igitur non nisi attingam istud; pater IVLII, Adolphus, qui nunc acerbissimū luctum animo agit, cum, quod ad cætera, ijs, à quibus descendit, nihilo inferior est, tum, quia suorum est amantissimus, clementer quoq; & paterno more eos habet; quamobrem ab ipsis quoq; contrà diligitur; ex quo de alijs eius virtutibus licet statuere. Matrem, viri in amando filio, dum viueret, & nunc mœrendo eo sociam, præstantissimam heroinam omninoq; talem pleriq; nouimus, qualem esse, humanitati & æquitati patris IVLII, conditoris huius Academiæ celebratissimi, beneficentiæ & pietati matris Hedouigis, sapientiæ fratrum, integritati cæterarū sororum conueniat. Tot igitur tantarumq; virtutum semina, tanta tam multiplicis à præclarissimis animis deriuatæ indolis principia, in vno IVLIO, ad formandum perficiendumq; eum, à natura per parentes cumulata sunt. Quemadmodum enim in rerum vel incremento vel ortu, qui succo quodue alimentum in plures partes distrahitur, minùs valet

ORATIO FVNEBRIS.

valet in singulis; quę verò coniuncta, in vnũ coalescunt, plus obtinent virium: Ita & qui à maiorum scaturiginibus in posteros profluunt riuuli, si in vno conueniant, iustam bonorum copiam citius effecerint, quàm si passim dilabantur. Argumento huic rei sit, quòd parentes, quibus vnicus tantum natus est filius, vniuersum omnium amorum globũ in illum conuertunt, cum, si plures habuissent, particulas eorum in singulos fuissent dispersiti. Intelligunt enim, vt pondera, quibus rei grauitas exploratur, exactè ad hanc quadrare æquũ sit; sic se, quidquid pluribus per partes singillatim deberetur, vni, solidum consecuto, in solidum quoq; oportere dependere. Quare si plurium locupletum hominum hereditates vni delatæ, ditissimum ciuem, & plura regna ab vno occupata, potentissimum regem efficiunt; quid causæ est, quin tot insignium heroum, optimorumq; parentum, & horum quidem vnica, progenies, præstantissimam indolem adepta sit? Illi ergo huius parentes etsi hoc periculi sustinere, quòd, ipso amisso, nullum alium haberent superstitem; cum eum vnicum procreauerint; tamen naturæ benignitatem contrà experti

C

sunt,

sunt, quòd ab hac in vnum solum collata perspe-
 xère, quæ à plurimis profecta, multis quoq; potuis-
 sent sufficere. Quare tantò quidem acriorem do-
 lorem capiunt, tanto per vnius mortè dolore ac-
 cepto, sed eo tamen filij præstantia tantum abest vt
 minuatur, vt hoc ipso potius reddatur illustrior: si-
 quidem, quod minoris est, minùs quoq; animum
 angit. Quin imò ne oculos quidem fallere pote-
 rat ista generosi ingenij bonitas, modò quis corpo-
 ris speciem motumq; intueretur. Nec enim facile
 repudiem, quod probatissimi sapientum tradidè-
 re, non latere animi indolem, sed vel tacitam à se
 ipsa prodi. Nec à vero dissentaneum est. Cum
 namq; in rebus multo leuioribus optimus quisque
 artifex instrumentis vtatur exactissimis & politissi-
 mis; de animo hominis, omniũ artium repertore
 & conseruatore, principe omnium artificum, vitæ
 nostræ duce, demisso cœlitus, diuinitus factò, du-
 raturoq; perpetuũ, quis aliud dicendũ censeat?
 Quo inter omnia, quæ sub Luna in terris viuunt,
 quia nihil reperitur præstabilius; corpus quoq; no-
 bilissimum eidem ad quascumq; functiones obe-
 undas pro instrumento datum est. Iam si alium
 alij

ORATIO FVNEBRIS.

alij præstare animum cernimus; vnusquisq; , prout
 melior deteriorũe est , ita corporis conditionem
 obtineat. Natura verò quò quidq; ad optimũ per-
 fectissimumq; accedit propius, eò idem quoq; pul-
 crius est, ita, vt nihil elaboratum perfectumq; sit,
 quod non item elegans, nihil deforme, quin rude
 & mutilum habeatur. Quæ ergo in IVLII corpo-
 re effulfit formę ingenuitas, præterquam quòd ho-
 minem per se commendauit acceptumque reddi-
 dit, tum animi quoq; eò præstantioris certissimum
 fuit indicium. Puer septennis, auix, auunculorum,
 materterarumq; visendarum causa, in aulam Prin-
 cipis nostri à matre adductus, magnam ætatis par-
 tem detinebatur, quòd festiuitate eius delectaren-
 tur. Ibi cum integerrimum principem Iulium Au-
 gustum erudirem, factum fuit sapius, vt illum con-
 templerer. Videbatur autem vis quædam ignea ex
 oculis elucere; qui præ alijs rebus animi indices
 perhibentur. Os ingenuum, facies florida, totaq;
 eius partium structura, grauitatem cum humani-
 tate, neque non insigne mentis acumen nunciare.
 Gressus, cæteri q; gestus vt à leuitate alienissimi, ita
 nec tarditatem præ se ferre, nec quidquam præterea
 C 2 habere

habere inconditi: Rîsus minimè effus, nec tamen, quod bonitatis hilaritatisq; signum, rarus, sed compositus temperatusq;, nec pro rebus natis difficilis. Si quid loqueretur, quod & more eius ætatis promtè faciebat, nec admodum temerè tamen, id & urbanum esse gratumq; audientibus, & eiusmodi, vt certam ingenij præstantiam polliceretur. Cùm eundem iam ante annū ibidem iterum viderem, animaduerti, hæc omnia non modò ab ijs, quæ antè fuerint, nihil discrepare, sed & tunc à maturitate abesse propiùs, adeoq; eadem multò certius apparere, quæ se olim non obscure ostendissent. Neq; quemquam fugiebat, qualis vir futurus esset, qui iam tum antiquitus celebratos heroas corporis statura formaq; pro ætatis statu referret. Sedulò enim & hoc de ijs mandarunt litteris poëtæ veteres historiarumq; scriptores; quoniam viri intelligentes id ad virtutis siue genus quoddam siue minimè fallacia documenta siue ornamenta illustria pertinere arbitrati sunt. Cæterùm, quò optimis quibusque ingenijs nihil potest dari preciosius, de eo huic quoq; à parentibus de filij salute valde sollicitis abunde prospectum est. Qui neq; in hac maximè

ORATIO FVNEBRIS.

mè necessaria re neglexere Viterſami prudentiſſimi viri conſilium. Itaq; illorum voluntate, & huius ſuaſu, poſtquam è gynæceo dimiſſus fuit, in diſciplinam magiſtris traditus eſt. Vbi non ad ea tantum, quæ aula per ſe vel parum attentos docet, adſuefactus eſt facillimè; geſtus quosdam vſitatos & id genus alios externos mores dico; quos, licet vulgò plures habeantur, quàm reuera ſint, negligere tamen oportet minimè: ſed cætera quoq;, quæ liberos regios decent, & libenter à docentibus accipit, & apprehendit nullo negotio. Cum puerum vidi, infante paullò adultiorem, præter ea, quæ aditum ad primas litteras patefaciunt, pleraq;, quæ de pietate in DEVM à noſtris ſolent præcipi, tenebat exactè. In ijs porrò ita confirmatus eſt, vt, cum non hanc vitam ſolùm, quæ per breuis eſt, etiamſi alijs longior contingat quàm alijs, ſed æternam multò magis ardentioreq; cum deſiderio ſpectaret, tum, quibus rationibus ea comparatur, non noſſet ſaltem, quod leuius eſt neq; nullis profanis hominibus commune nobiſcum, ſed eas quoq;, DEO bene iuuante, & animo atq; mente, & factis præterea, quantum in ipſo erat, ſequeretur. Inter-

ea cum cognosceret, sola huiusmodi rerum con-
 templatione solisq; supplicationibus, neq; rusticū,
 agriculturæ ignarum manusq; operi non admo-
 uentem, messem facturum, neq; nautam, qui velo,
 remo & gubernaculo nec vtatur nec vti norit, in
 portum adpulsurum; ad ea etiam discenda se con-
 tulit, quæ de regum regibusq; similium officijs præ-
 cepta sunt: quòd frustra quis aduocaturus esset
 D E I auxilium, qui, in humanis rebus, vel,
 quæ nesciret, adgrederetur, vel quæ facienda
 sciret, non faceret. Sunt quidem fueruntq;e
 semper viri ingeniosi in reip., qui vel præceptis à
 maioribus per manus traditis, vel vsu rerum, vel
 periculis, vel consultorū monitis edocti, non mi-
 nùs rectè imperitent, suisq;e ciuibus consulant,
 quàm quidam in disciplina ciuili eruditi: sed hoc
 tamen verissimum est, iamq;e omnium regum,
 principumq;e & nobilissimorum quorumq;e senten-
 tijs eò iri cæptum, multò certius functuros officio
 minusq;e aberraturos, qui, præter modò dicta, ea-
 rum rerum doctrina quoque, quas optimi, quiq;e
 rerump. rectores obseruarint, non sint tincti leui-
 ter. Id perspexere, quibus res Schomburgensium
 curæ

ORATIO FVNEBRIS.

curæ sunt, interq; eos in primis, quæ honoris causa sæpius nomino, Viterfæmus, & ab initio intellexit, & longo tempore expertus est: quare & autores fuisse, ne heroicum hoc ingenium in hac educationis parte quidquam desideraret. neq; hoc institutum IVLIO persuasere, sed ipse monitus sponte animum eò appulit. Latinus sermo ab aliquot sæculis communis plerarumq; gentium Europæarum fuit; conseruataq; eius potissimum beneficio inter ipsas commercia: quæ causa est, cur iam diu non à priuatis saltem sed à magnatum quoq; filijs colitur solitus. Altera, eaq; potior, causa est, cur discendum etiam primoribus existiment, qui rectè sapiunt. Aditus enim per eum aperitur, ad omnis generis scripta cognoscenda, per discendumq; ex potioribus, quidquid in ijs boni nobisq; vsui est. Hoc igitur primùm cordi illi fuit ante omnia, vt hunc sibi regiarum & quarumcumq; bonarum artium interpretem familiarem redderet: id quod & consecutus fuit partem maximam. Iamq; adeo eius ductu tum alia, quibus ingenium excoleretur, formarenturq; mores, tum rerum ab alijs gestarum monumenta manibus versare cæperat. Neq; dubium

bium est, nisi morte foret præreptus, ita in proposito fuisse perrecturum, ut patriæ optimum magistratum, & imperio Romano inter optimates egregium ciuem se esset præstiturus. Quia verò eas litteras omnemq; disciplinam regiam diligenter colebat, & ab ijs, quibus hæ partes demandatæ erant, nihil, quod ad erudiendum eum spectaret, negligebatur; inde maximarum virtutum ipsi infusa semina, solo ijs cultibus probè agitato ijsq; irrigato roribus, iam in frugem vberiore[m] cæperunt excrescere. Hinc integer esse & probus: neminem verbo factou[e] fallere; quæ non tam harum gentium virtus propria est, quàm conseruata propagataq; exemplo & bonitate principum: eadem sentire ac dicere: nihil temere, quodq; in potestate non esset, promittere; promissis pro viribus stare: parentum voluntatem habere pro oraculo: quorum hoc officium esset, eorum monitis parere sedulò: errorem indicatum sine pertinacia emendare. Eorum præterea, qui vnâ essent, obsecundare sententiæ, nec facilè aduersari cuiquam; dispicere potiùs, si quid in rem suam, quod disceret, audiret; comis interea, & ab omni morositate alienus.

ORATIO FVNEBRIS.

enus. Namq; & hoc prædicare de eo oportet, quòd perhilaris erat, & tristitiæ minimè deditus. Hoc enim, si absit temeritas & petulantia, vt hîc abfuit, præter bonitatem naturæ, etiam alacritatem animi demonstrat, & industriam in obeundis, quæ nostrarum partium sint: cùm contrà, qui sine causa, ea potissimùm ætate, tristes sunt, vel malos esse necesse sit, vel ad res gerendas ineptos. Vnde & factum est, vt mirum in modum caperetur musica. Hic verò cum omnium hominum, neq; nullarum etiam brutarum animantium aliquo modo communis affectus sit; non ille, vulgi, more quolibet sonorum concentu contentus fuit, sed solùm, qui ab exquisita arte proficisceretur, probabat. cuius etiam solida suauitate quò se expleret iucundius, quòque rectius de omni musicorum cantuum genere iudicaret; & ipse fidibus didicit, & cùm egregiè caneret, tum hac se honestissima voluptate oblectauit quotidie. Non moror nunc eorum iudicia, qui hoc vel per se vile, vel ab heroicis studijs alienum clamitent. Quòd si enim vita nostra, modò eam sine vitio velimus peragere, perpetuis laboribus est destinata; ijs verò sustinendis pares

D

sumus

sumus minimè, nisi subindè cessemus aliquamdiu, nosq; quieti demus; is demum alijs rectius vivere censeatur, qui non tantùm, in qualibus decet, occupatus est, sed eiusmodi quoque cessationes sectatur, quæ nec honestati aduersentur, sed ei quoq; adiumento sint. Musicam (de saniore loquor, non de agresti, nec de luxuriosa ac friuola) esse huiusmodi, & in confesso est, & ratio ostendit. Cùm enim principia, quibus nititur, ex philosophiæ penetralibus petita sint; quis dubitet, adolescentulorum ingenia eam exercendo cultiora effici, dum, quæ varietates, quæ item similitudines innumerabiles occurrunt, quòque modo alia inter se separare, alia coniungere oporteat, considerare necesse habent; itaque, dum se nihil agere putant, tamen nec nihil agunt, & id agunt, quo non modò non deteriores, sed etiam aliquam partem meliores fiant? Adhæc, animum per ipsam ab adfectibus liberari, reddiq; ex turbido serenum limpidumq;e, siue quem ira inuasit, siue dolor, siue metus, siue quid aliud huiusmodi, & veteres tradidere, & nemo est, quin in se expertus sit. Adigitur vero etiam eo pacto ad æquitatem,

ad

ORATIO FVNEBRIS

ad constantiam, ad fortitudinem, atq; alios mores
 virtuti consentaneos. Denique qui ad eundem
 modum in adolescentia se exercuerit, cum abi-
 gendis vicijs vrgendoq; recti studio adminiculum
 sibi parabit, tum iudicium acuet, quo deinceps,
 atque, etiamsi vir factus vel senex ipse non canat,
 quod nec deceat admodum, possit tamen de mu-
 fica rectè existimare, præstantes artifices à vulgari-
 bus discernere, carmina item cantusq; optimos,
 pravis aut modicæ artis repudiatis, seligere, & sic
 in hac quoq; laudabili animi remissione, vt ratio
 præcipit, versari. Magnam voluptatem excitabat
 hæc tot tantisq; dotibus beata indoles, & parenti-
 bus, qui tali filio & tam optato imperij successore,
 & auix, quæ tam amabili nepote lætabatur supra
 modum, & auunculis, laudatissimis principibus,
 & in his heroi HENRICO IVLIO, patri
 patriæ nostræ, & huius Academiæ nauclero; qui
 sorori adfinique de ea felicitate gratulabantur. In
 primis ditionis Schomburgicę proceres, cum cun-
 cto populo, sibi ex animi sententia eam magistra-
 tum suorum æquitatem cum summa dignitate
 coniunctam, vt antiquitus ad hoc vsq; tempus, ita

per illum quoq; perpetuo successu conseruatum
 iri gaudebant. His omnibus de causis factum est,
 vt consilia inirentur de mittendo eo in hanc Aca-
 demiam, vt & ipse hoc aui auunculiq; beneficio
 fruere, simul & luculentius redderet, quod per
 ipsos hinc in omne genus mortalium, qui eo vti vo-
 lunt, confertur. Iamq; huc pridem transisset, nisi
 auix adflicta valetudo Hessemij ipsum tenuisset
 diutius. Atq; erant hinc parata denuò omnia: dies
 etiam aduentui dictus; qui & appropinquabat.
 Carmina quoq; meditabantur, per cultores suos
 iuuenes, Musæ; & confecta scio plura perpolita,
 quibus aduenientem exciperent. Nec decebat
 aliter; quòd ita fieri velle videbatur Academiae
 conditor, nepoti, conseruator protectorq; , sororis
 filio. Sed proh dolor, quæ tam prospera ac læta e-
 rant antea, mutata sunt nimis subitò. Pro aduen-
 tu interitus nunciatus est, pro gratulatione luctus
 grauissimus. Cùm enim morbo non adeo pericu-
 loso tentatus aliquamdiu, iam conualuisse vide-
 retur; repente & inopinatò oppressus extinctusq;
 est, flos iuuentutis primariæ pulcerrimus & fra-
 grantissimus. Heu quantum tum vulnus inflatum
 est

ORATIO FVNEBRIS.

est auiæ, optimæ pientissimæq; matronarum principum, cum intuita est tam tristem exitum carissimi sibi capitis. Heu quibus deinde stimulis parentum pectora perfodit tam infelix tam insperatæ calamitatis nuncius: thesaurum sibi ademptum, quo nihil in vita, in humano genere, in orbe terrarum haberent quidquam preciosius; quem nec recuperare vlllo pacto liceret, non si sua omnia, non si seipsos irent perditum: omnem voluptatem ereptam, nihil reliquum iucundi, nihil, quod placeret; misera, tristia, tetra, acerba omnia: diem caligine obductum, quo non appareat, quod frustra desiderent; noctem verò lucentem, qua nimio acutiùs videant, quid absit. Vnâ lugent doloresq; ipsorum suos existimant & tota agnatio Schomburgica, & matris fratres sororesq;. Nosq; vnâ cum ipsis lugere æquum est, qui nos non modò tanto lumine, quod huic Academiæ adfulsisse videbatur, priuatos videmus, sed etiam quia herois I V L I I, cui illa & vitam & nomen debet, posteritas, herois Henrici I V L I I, cui eadem & hodiernam salutem & futuram æternùm debet, cognatio, imminuta est. Sed & eorum vicem,

qui parentum vota subsecuti, eundem cum ipsis
 olim successorem illis, magistratumq; sibi, magna
 cum spe expectabant, quis non miseretur, qui vi-
 deat, quantorum illi bonorum, quorum nulla
 umquam reparatio sit, detrimentum capiant? O-
 mnibus, quos dixi, iustissimas grauissimorum lu-
 ctuum causas esse quia perspicimus; quid facien-
 dum statuamus aliud, quam nobis & ipsis cum ijs
 dolendum esse potius, quam consolationem mo-
 liendam mali, cui nihil remedij inuentum est?
 Mecum enim ipse pugnem, si secus sentiam; qui
 tantum cum generosa hac propagine virtutum
 prouentum interijisse & ipse nouerim, & vobis,
 ni fallor, ostenderim: nisi fortè sunt, quæ dicta
 cogitataque, si non ad tollendum prorsus, saltem
 ad mitigandum ægris animis dolorem valeant.
 Primùm enim, licet nos gemitibus, eiulatibus, a-
 nimi anxietatibus conficiamus, tamen frustrâ su-
 mus, nihilq; præterea agimus, quam quod nobis
 ipsis noxij, alijs interim nihil paramus commodi.
 Accedit, quòd pietati aduersum est, id nolle, quod
 DEVS voluerit, id mutatum cupere, quod ipse
 fecerit, id pro iniquo habere, quod ab omni boni
 fonte

ORATIO FVNEBRIS.

fonte profectum fit. Deniq; impium cogitare fit, illum deteriore loco illic apud cœlestes esse, quàm hîc siue fuerit siue futurus erat. quòd si ibi inter beatas animas & ipse beatus agit, cur ei vel inuideamus eam beatitudinem, vel hasce huius vitæ sortes rursus contingere optemus, non alia de causa, quàm vt nostro desiderio consulamus, nihil pensi habentes interim, meliùsne ipsi sic an peiùs futurum fit? Sinamus ergo frui ipsum tam bona conditione, statuamuscq; optimè factum, à quo nihil vniquam factum est perperam. Precemur autem cætera quidē fortunatissimis, hoc autem casu afflictissimis parentibus tum patientiam ad hanc calamitatem æquiore animo ferendam, tum bonam longæuamq; valetudinē, quòd partem eam perpetuitatis, quā per filium amisere, in se ipsis expleant. In primis à DEO immortali deuota supplicatione contendamus, vt sapientissimum pariter & iusticiæ atq; æquitatis studiosissimum huius & patriæ & Academiae nostræ Principem, cum matre, & coniuge, cumque omni cætera patris IULII, qui iam inter Diuos vitam agit, progenie diuissime seruet saluos atque incolumes, ipsiscq; fau-


tissi-

TH. ADAMII ORAT. FVNEBRIS.

stissima ac felicissima quæque largiatur: vt huic
item propitius sit Academia, quam & bono iu-
uentutis cunctæq; reip. florere ac vigere velit
omnibus modis, ab omnibus animorum
& corporum pestibus tutam
immunemq;.

F I N I S.







ORATIO FVNEBRIS.

fonte profectum fit. Deniq; impium
 illum deteriore loco illic apud coeleste
 hinc siue fuerit siue futurus erat. quod si
 atas animas & ipse beatus agit, cur ei
 mus eam beatitudinem, vel hasce hu
 des rursus contingere optemus, non a
 quam vt nostro desiderio consulamus
 habentes interim, meliusne ipsi sic a
 rum fit? Sinamus ergo frui ipsum tam
 ditione, statuamusq; optimè factum,
 vmquam factum est perperam. Prece
 caetera quidē fortunatissimis, hoc autem
 ctissimis parentibus tum patientiam ac
 mitatem æquiore animo ferendam, tu
 longæ uamq; valetudinē, quò partem
 tuitatis, quā per filium amisere, in se ips
 In primis à DEO immortali deuota s
 ne contendamus, vt sapientissimum p
 sticiæ atq; æquitatis studiosissimum h
 triæ & Academiae nostræ Principem, c
 & coniuge, cumq; omni caetera patri
 qui iam inter Diuos vitam agit, pro
 tissime seruet saluos atque incolumes,

